

267

E

Res. D. XVII - 214



DE RECTA

IVRIS DOCENDI

RATIONE,

DEQUE ANTECESSORVM

DELECTV.

AD AMPLISSIMVM

Senatum Tolosanum.

GVILLELMO MARANO

Antecessore Tolosano

auctore.



TOLOSÆ,

Excudebat Raym. Colomerius, Re-
gis, & Academiae Tolosanae
Typographus.

M. DC. XV.

1770

DEPARTMENT

OF THE

NAVY

OFFICE

OF THE

SECRETARY

OF THE

NAVY

OFFICE

OF THE

SECRETARY

OF THE

NAVY

OFFICE

OF THE

SECRETARY

OF THE

NAVY



A D
 CONSULTISSIMUM
 IVRISQUE RELI-
 giosissimum Senatam
 Tolosanum.

GVILL. MARANVS
 Antecessor Tolosanus.

Quemadmodum Pla-
 to Ideas esse voluit
 (Patres amplissimi)
 hoc est rerum species
 & formas absolutis-
 simas sempiternasque : ad quarum
 similitudinem natura quasi artem

Et manum dirigens, omnium qua
 in terris nascuntur imagines ducit
 Et exprimit: Ita sanè in Rep. om-
 nino necesse est, velut ideas existere,
 Et quasi aeterna ordinum, Et mu-
 nerum exemplaria, eaque elegantis-
 sima ac perfectissima: hoc est ar-
 tium, disciplinarum, ac virtutum
 professiones, quarum velut arche-
 typis, iuuentus ad omnia Reip. offi-
 cia, functionesque informetur: di-
 ligenti nempe, Et assiduâ operâ, Et
 sollicitudine magistrorum, quos le-
 ctissimos Et omnibus numeris ab-
 solutos propterea esse oportet: quum
 non aliter nativa Reip. facies reti-
 neri ac propagari queat, sed paula-
 tim oblitteretur, ac prorsus tandem
 intereat. Ab exemplaribus enim
 non emendatissimis, vitia necessa-
 riò traducuntur ac crescunt: Et

veteribus castigatisque exemplis
 tempore ut fit subductis, vitiata
 succedunt, quæ omnem rerum sta-
 tum deformant & confundunt: ita
 ut miremur postea, nos inopinanter
 quasi in alium orbem delatos.

Quapropter in ceteris Reip. parti-
 bus demandandis, aliquid fortasse
 indulgeri possit: certè longè minori
 periculo & piaculo. At in professo-
 ribus deligendis nihil gratiæ, nihil
 ambitioni, nihil amicitia, nihil ne-
 cessitudini, nihil mutuis officijs, ni-
 hil delinimētis, nihil proprijs cōmo-
 dis sine magno scelere dari potest.
 Hoc enim qui faciat nō membrum
 aliquod Reip. labefactet aut ledat,
 sed rem totā publicā pessumdet, ideis
 & formis deprauatis adulteratisq;
 neque de præsentis tantum ætate, sed
 & de futuris sæculis pessimè me-

reatur, qui iuventutem prodat ac perdat: in quâ non omnium modo tribunalium spes est, sed & totius Reip. & quæ nunc est, & quæ postea est consecutura.

1
1. de officijs.

Equidem iustitiæ munus est, inquit Tullius, 'vt quisque communibus vtatur pro communibus: priuatis vt suis. Quicumque igitur de publico quasi de suo largiuntur, quid aliud quàm peculatores audire possunt? Res sacræ, religiose & sanctæ diuini iuris sunt, non in bonis cuiusquam; & est quidem res sanctissima docendi professio: quam si quis in cõpetitione, non omnium optimè merito, & dignissimo detulerit, sacrilegium admittit, & in diras illas Phocylidis incidit.

2
L. I. §. I. ff.
de varijs
& extra-
ord. cognit.
& c. ult.
de Magi-
stris ext.

Σπέρματα μὴ κλεῖτε, ἰπαράσιμος ὅς τις ἀρεῖται.

Et certè nullum est tam dirum
 horrendumue carmen, quo eorum
 factum scelestissimum execrari &
 deuouere pro dignitate Tolosa un-
 quam possit: qui pari fraude &
 malignitate, lectissimam illam, ac
 fœcundissimam, & quod acerbius
 est patricinam, indigenamque Cu-
 iacij sementem, Tectosagum agro
 olim inuiderunt: urbi que imme-
 renti, Gothica cognomen pro Palla-
 dia, priuato suo scelere ascuerunt.

Enimvero quum magistros ex-
 cellere leges velint¹, non potest in hoc
 genere, sufficiens ulla videri lite-
 ratura, nisi qua competitorum com-
 paratione summa existat. Nam &
 in ecclesiasticis electionibus (qua
 liberrime sunt, quia nulli ius ad
 rem) eminens scientia desideratur,
 si reperiri queat: & mediocris pro-

¹ L. 7. Ma-
 gistros, C.
 de profess.
 & medic.

c. 10. nisi pter inopiam, ex indulgentia tole-
 cum pride ratur¹. Aureum igitur honoris po-
 s. pro dese- mum, quo artes aluntur & cres-
 Etu. de re- cunt, non nisi pulcriori dandum.
 nunciat. c. Ius hoc, Jupiter ipse sanxit, id est
 37. venera- eterna summâq; æquitatis ratio:
 bilis. de ea enim est iustitia, quæ ita sum-
 præbend. cuique tribuit, ut non distrahatur
 c. 19. cum ab ullius personæ iustiore repetitio-
 nobis. de e- ne². Exigit hoc iudicantis religio
 lect. ext. & fides: exigit iurisiurandi for-
 2. l. 31. bo- mula, conceptis verbis à Senatu
 na fides, ff. iamdiu præscripta³: exigunt ver-
 depositi. bis disertissimis, nostrorum quoque
 3. arrestum principum constitutiones⁴: exigunt
 19. Ianua- & sapientissima vestra consulta
 rij 1515. (Patres Amplissimi) literatè ac
 fol. 158. in nominatim.⁵
 libro statu-
 torum.
 4. ordina-
 tio Cavoli 9.
 1566. He-
 rici 3. in
 comit. Ble-
 sen. art. 86.

Vos enim nobilissimam hanc to-
 tius Europæ iuris scholam sanctis-
 simum Iustitiæ templum, summi

5. arrestum
 13. Septèb.
 1470. fol.

Iustitiæ sacerdotes & antistites, 133. in
lib. statu-
torum &
alia dein-
ceps ar-
resta.
almo & præclaro providentiæ ve-
stra lumine, incessanter & sollicitè
lustratis, illustratis, fouetis, & colit-
tis: sapientissimè & è republica, ut
omnia. In ijs enim adytis Palladiũ
vestrum stat, & tribunalium fori-
que fatum: quod benignum, fœlix,
fortunatũmq; in omne sequens æ-
uum, ut antehac, summè voueo: &
nisime animus fallit verè auguror:
Deo faciente qui iustitiæ & iuris
auctor, vindex, & assertor in per-
petuum existit.

Itaque sub conspectu & testi-
 monio vestro tum disputationes
 agitari, tum electiones celebrari
 voluistis: quod ipsi quoque Impera-
 tores olim suarum partium esse cre-
 diderunt¹: atque omnem ambitioni
 & fauentiæ aditum diligentissimè d. l. Ma-
gistros.

interclusistis. Nam & districtè nominatimq; nobilissimo vestro consulto, in hac verba vetuistis. Ne posthac fas sit, quemquam sub quacumq; causa, occasione, pre-textu, ad iuris Regētiā promo-uere, nisi prius habita disputatio-ne peculiari & expressa, pro ea-dem ipsa Regentia: Et ne præce-dens pro consimili Regentia di-sputatio celebrata, valeat à noua disputatione excusare.

Indignum quippe & nimis ini-quum, absurdumque in re tam se-ria rati, quasi de eadem fidelia duos parietes vt dicitur dealbari: & plures simul cathedras, quasi per auersionem prodigi (quod ius antiquum etiam in rebus priuatis vetuit, quas sigillatim donari vo-luit) ac velut missilia in vulgus

1
arrestum
15. febr.
1593.

2
1. I. &
2. de dona-

spargere: Nam & mortis captan-
de votum, quamdiu trahitur pre-
lectionum, & disputationis vicif-
situs, eo modo palam induceretur.

titul. C.
Hermog.

Huius tam sancti vestri insti-
tuti seuerè tuendi (Patres amplif-
simi) bona se nunc offert occasio,
& precipua ratio, in iuris utrius-
que vacantibus cathedris quas
virtute non fauitoribus sine furo
& fallacijs ambiri æquum est: ut
unaqueq; nimirum suo ordine &
loco, ac certamine proprio discepte-
tur. Nam præter quàm quòd ita
fieri ius est, magna inde utilitas ad
rem ipsam publicam redibit: cres-
cet enim in dies ambientium indu-
stria, iuuentutis studia magis ex-
citabuntur, Academia maior ce-
lebritas & gloria comparabitur,
atque unius Doctoris demortui

vice, plures interea, summa cum contentione defungentur. Quinetiam noui candidati, veterani quoque postulandi emergent: nomina vix daturi quamdiu prima pendebit disputatio: cum enim cathedra gradatim & ordine deferri debeant, et unicuique tempus per se assignandum sit, dies interim sequentibus non cedit nec

l. 10. Si currit.¹

lures de
ure deli-
er. l. 2. §.
e. in bono-
ū ff. quis
ordo ii pos-
fessionibus
eruetur.

Neque verò frequentissima in scholâ prælectiones umquam deerunt, si aduocati iuniores & feriati, sacramento quod ab ijs Senatus solemniter exigit, paruerint: Si nullus ad ambiendam cathedram admittatur, qui non prius se publicè docēdo diu exercuerit, ut ferunt Academia decreta: Si candidati ipsi non perfunctoriè, unico

mense, sed quamdiu pendeat electio, huic muneri quod ambiunt, diligenter incubuerint.

Denique si in defunctorum locum quam primum sortitò ex delectis quibusdam, vel ex ipsorum candidatorum numero, aliqui sine præiudicio ullo sublegantur ad tempus, dum celebretur disputatio & electio, aut succedanei vicissim: eisque salaria de caducis deficientium constituentur. Sic enim Reipub. abundè prospicietur, inuidentiæ litabitur, & egregium imitandumque sui candoris specimen ac exemplum, Tolosana dabit studiorum Uniuersitas, in oculis celeberrimi totius Galliæ conuentus, qui meliora ab omnibus efflagitat: ut sub crescentis ac florentissimi Regis auspicijs, pristina & pulcher-

*rima rerum facies resurgat, reno-
ueturque.*


*Hac certè ratione Divus Caro-
lus Cardinalis Borromeus verè
Ambrosianus Archiepiscopus
parrochiales Ecclesias vacantes,
quasi fulcris ac tibicinibus susten-
tare solebat, donec pastores idoneos
maturà inquisitione nancisceretur.*

*Quales verò juris professores
deligi oporteat, qui brevi oratione
vobis audientibus plurimùmque
faventibus (Patres amplissimi)
ante biennium ex parte sum execu-
cutus: illam nunc auctiorem stu-
diosis, rogatu multorum in publi-
cum dare opportunum esse duxi,
gloriosissimo vestro nomini nuncu-
patam: quorum hæc propria & pe-
culiaris laus, Vt quod vestro
consilio fuerit ordinatum, id ad*

beatitudinem, imperij & ad glo-
riam Principis redundare co-
gnoscatur: *Valete & Acade-*
miam quod facitis amate & cu-
rate.

l. 8. hu-
manum. c.
de legib.





CVPIDÆ LEGVM

Iuuentuti.



VEM ego , commu-
nicandorum vobiscum
studiorum , & huius ar-
duæ ac laboriosæ iuris
professionis , fructum
semper optavi , (Iuue-
nes studiosi) eum certè
neque in pecuniario quæstu , quod dege-
neris , sordidi , abiectique hominis est : ne-
que in aura quadam popularis gloriolæ,
quâ qui pascuntur , inanes eos valde esse
oportet: neque in otij literarij tranquillita-
te & quiete , quod pusilli & desidis animi
foret : longèque à Iurisconsulti agilitate,
& efficacitate alienum ; cuius studia solem
& puluerem , id est forum , rerumque ad-
ministrationem spectare debent : Sed in ea
Reip. parte iuuanda , procurandaque , quæ
ceterarum prima , & præcipua sapientum
iudicio semper habita est.


*Nullam quippe nos munus , Reip. adferre ma-
ius,*

ius, meliùsque possumus, quàm si doceamus atque
 erudiamus iuventutem: sicut verissimè scribit
 Tullius¹. Vt enim in stirpibus, & arboribus
 radices, caudicem, ramos, frondes, folia,
 flores, fructus denique, in pusillo quan-
 tumuis semine, dædala natura occuluit,
 atque conclusit: haud secus, maiorum sa-
 pientia, vniuersam Reip. summam, vnicâ
 iuventutis institutione, admirabili com-
 pendio ita complexa est; vt ex ea quasi se-
 miente, publicarum personarum omnigena
 soboles, restibili, feracique prouentu, in
 dies succrescat & sufficiatur.

Itaque si quid in reliquas Reip. partes
 beneficij, operæ, curæque impenditur, id
 singularum proprium & quasi præcipuum,
 ac peculiare est: quicquid verò in scholas
 confertur, illud profectò omne, ad ipsam
 Reip. vniuersitatem pertinet, latissimèque
 per omnia illius membra diffunditur &
 manat.

Qua quidem in re iuris professio primas
 proculdubio tenet, quæ rerum diuinarum
 & humanarum sapientiam, hoc est Rem-
 pub. vniuersam continet: Vt nihil mirum
 videatur, si ius civile docere, semper pul-
 chrum fuerit, hominùmque clarissimorum dis-
 cipulis, domus floruerint; Vt iisdem verbis i-

B



1. *In Oratore ad Brutū.* dem Tullius testatur: neque si eam sciētiam plurimi & maximi viri, maximæque apud populum Rom. dignationis, professi fuerint, quod Pomponius noster scribit. 2.

2. *l. 2. §. 18. ff. de orig. iuris.* *iuris civilis* Huic ergo professioni, cum me à iuuentute dedidisset, ita sedulò seriòque incubui, ut in ea cogitationes omnes meas, curam, laborem, sollicitudinem, defixerim, ac totus semper fuerim. Neque enim Deum hominesque qui me penitus nouerunt, contestari verebor, nunquam me nisi valetudine defectum, aut viribus exhaustum, aut cum aliò Academiae utilitas auocaret & distineret, à meo munere vllò tēpore destitisse: resq; meas omnes, omnia penè ciuilia officia, & obsequia, atque ideo me ipsum posthabuisse: quod quidem ego, non in aliqua laudis parte, sed in officij religione pono. Quum enim patria, hoc est causa publica, omnes omnium charitates in se vna complexa sit, ea bonis viris, charior semetipsis esse debet: ut qui aliter animo sint affecti, Reip. desertores merito haberi possint.

Neque verò me alio modo erga vos gessi (Adolescentes amantissimi) quàm si omnium communis parens extitissent; fiducia quidem patris personam, me su-

stinere semper ratus : in cuius videlicet fide , manu , & sinu paternam sollicitudinem , & curam , pro parte commendassent , & quasi deposuissent , qui vos genuerunt.

Vos quoque plerosque omnes , ita nostri amantes , obseruantésque , itaque moratos & iuris studiosos , perpetuò expertus sum : vt mihi ipse & Reip. tam lectam pubem , nunc & olim contigisse , sit quod valde gratuletur : atq; quòd ego vos vicissim , quasi filios dulcissimos , & iucundissimos , toto pectore admittam , animoque complectar , & in oculis perpetuò geram : quotidianã vestram , prælectionibus auscultandis æquanimiã , & attentionẽ apud omnes prædicans : ac si quid eo in genere aliquando peccatum sit , non tam lasciuienti ætati , quàm incuriã nostrã , vitio vertendum esse , palàm sæpius professus : quandò monitis dictisque nostris , vos obtemperantes in dies magis experior.

Quid enim sileam decessores vestros ? qui anno 1601. propter Senatus reuerentiam , meo solo monitu , omnibus se præfecturis & officijs consociationum , quas nationes vocant , apud nos lubentes abdicarunt : quod tabulæ ipsorum chyrographis subsignatæ , confirmare possunt.

Quibus verò laudibus, vos qui modò nobis operam datis prosequar? qui vltro & sponte, seuerâ lege proficere, & mores antiquos ac veterem disciplinam reuocare, iamdiu exoptatis: idque ardentè ab Academia, & ab amplissimo Senatu, votis omnibus contendistis & contenditis adhuc: optatorum compotes & votorum rei, paucos post menses vt spero futuri. Nam & Curia, quæ vos paternâ pietate semper complexa est, in eam curam iamdiu inuigilat. Et Rex ipse florentissimus, principem se quoque iuuentutis, ea etiam in re, si quid mens augurat breui præstabit.

De me verò, vobis omnibus, abundè prolixèque ea omnia polliceor, quæcùmque ab optimo parente optare & sperare fas est: charitatem, indulgentiam, studium, curam: sed & monita, cohortationes, reprehensiones, obiurgationes: hoc est paternæ patruæque linguæ verbera; & quæcùmque alia, quæ parentum pietas & sollicitudo, falli & fallere nescia, solet exprimere. Nam si sub falsa benignitatis specie, blandus aliter me geram, vos planè quasi beneficio decepero: neque rem vestram aut publicam, sed meam curauero: imò certè nec meam.

Et nostri quidem in vos paterni amoris, quotidiana experimenta facitis, (lectissimi Adolescentes.) Sed hoc quoque peculiare testimonium & pignus, à vobis sæpius expetitum, & efflagitatum iamdiu, vestraque causâ elaboratum, publicè etiam, extare cupio: de recta nempe iuris docendi discendiq̄ue ratione. Quem tractatum ab ipsorum Doctorum officio nunc inchoare commodius mihi visum est: quandoquidem discipulorum causâ, Doctores sunt comparati: & pleraque ad discipulos, quæ de magistris dicenda sunt, pertineant, utpote utrisque communia: & quia etiam, Professores scholis iuris, parare debeamus, sine quibus ius diu stare non potest.

Qua in re vos omnes bono animo esse iubeo: & quod dæmon ille apud Cebetem, in hanc vitam ingredientibus imperabat verbum, illud ego ad hæc legitima studia sese accingentibus impero, *θαρρῶν.*

Confidite ergo & audete, doctissimorum Professorum ope subnixi: atque memores, Neruam filium anno decimo septimo de iure responsitasse, hoc est

l. i. §. i. ff. de postul.

consulentibus responsa dedisse: nec non Celsum filium, etiam adolescentem, apud grauissimos Iurisconsultos auctoritate plu-

rimùm valuiffè. ¹

Quorum exempla ad imitandum, in
libris iuris iuuentuti propofita, quò faci-
lius fœliciùsque, & fine ftudiorum inter-
pellatione, fubfequi valeatis: fuma hæc,
& præcipua fuerit cautio: fedulas apes imi-
tari: quæ

Ignauum fucos pecus, à præsepibus arcent. ²

Valete cura & deliciae noſtræ: atque To-
loſanæ Academiae legumi nutriticis memo-
riam, grati alumni totâ vitâ recolite.

91. ſi ſer-
uum. §. 2.
equitur ff.
de verb.
obligat.

2
Virgil. 4.
Georg.



ORATIO

POSTRIDIE DIVI

*Luce anno 1612. in schola
iuris civilis habita.*



E recta iuris docendi
ratione, hodiernâ die
dicturus sum, Deo fa-
ciente vobisq; fauen-
tibus, (Patres amplif-
simi, auditorésq; humanif-
simi) non
in vniuersum quidem, sed carptim
non nulla, pro temporis & valetudi-
nis nondum satis firmatæ facultate.
Exordium hoc futuris noui anni
prælectionibus conuenientissimum

esse duxi : nam & iuris studiosi, quorum causâ hæc omnia comparata sunt, statim ab initio, quid à nobis posthac expectare debeant, intelligent, indèque etiam studiorum suorum ductum aliquatenus informabunt : & nos veteris nostri instituti, quotidianique officij rationem, publicè ut par est aperiemus : si quid antehac fuimus hallucinati, libentissimè emendaturi. Ego quidem per annos viginti octo summâ contentione, publico isto docendi munere, in hac omnium celeberrima Academia perfungor, & reliquum antecedentis ætatis in eodem studio penè consumpsi. Cùmque in adolescentia, proprio periculo expertus essem, quàm misera sit studiosorum conditio, quorū magistri inconditè, perturbatè, & sine arte docēt : cumq̃; iuris disciplinam alioqui per se difficillimā esse animadverterem : omnes

animi & industriæ neruos, in id po-
 tissimùm Antecessor factus contēdi,
 vt sagacissimâ, solertissimâque inda-
 gatione, iuris artem inuestigarem,
 (quam quotidiana nostra dictata ad
 Pandectas præsertim aperiunt) atq;
 vt obscuriora quæque, ita sæpius
 animo volutarem, & assiduâ mentis
 agitatione, apud me concoquerem,
 vt tandem probè subacta, confectâq;
 studiosis quasi mansum in os inge-
 rerem, eósq; maximâ laboris parte
 subleuarem. Sed hominem me esse
 agnosco, & si quis me sæpius labi &
 errare dixerit, nunquam inficiabor.
 Verumtamen si post tot, tantósq; la-
 bores in hoc studio exhaustos, qui
 mihi jamdiu ante ætatem senium as-
 ciuerunt: quid de hac re sentiam
 candidè, & simpliciter exposuero,
 nihil alieni mihi arrogare videbor:
 saltem fungar vice cotis, vt ille ait, &
 ingeniosior em aliorum industriã, ad

rei tam necessariæ inquisitionem, exemplo meo fortè exacuero: vt ij quoque suam symbolam in medium conferant: illi præsertim quos de omnium Antecessorum docendi ratione, sæpius quiritari intelligo, quos meliora vidisse consentaneum est: quæ si Reip. non inuidebunt, & nobiscum cōmunicare, documento, vel exemplo non dedignentur, ego quidem summa cum animi alacritate, & gratitudine, obuijs quasi vlnis excipiam, amplectárq; ac deosculabor: sententiam enim mutare in melius, senem quantumuis, numquam pigebit pudebitve.

Expostulationis istius, quatuor sunt præcipua capita. Nam in quibusdam nostrùm, docendi subtilitatem carpunt: vtiliúsque fore existimant, si crassâ & pingui Mineruâ, ad rudem scilicet auditorum captum doceamus. In alijs miscellaneam

doctrinam reprehendunt: tantúmque iuris studio detrahi putant, quantum alienis auctoribus vel euoluendis, vel in docendo vsurpandis impendatur. In alijs obscuritatem damnāt: quorum infœlices discipuli,

Inconsulti abeunt sedemque odere Sybillæ.

In omnibus denique inutilitatem accusant: quòd nempe parùm appositè ad vsum fori docere videamur. Quæ omnia breuiter, & ordine dissectanda & excutienda sunt: atque huic extraordinariæ cognitioni, ij iudices adhibendi, à quibus prouocare nemo velit aut possit.

PRIMUM igitur querelæ caput est, de docendi subtilitate: de qua, quid fanciat dictator noster, audiamus, summus inquam totius artis non modò magister, sed & auctor Iustinianus. Ille autem initio totius operis, hoc est tit. de Iustit. & iure Institut. sententiam suam his verbis pro-

mit. Incipientibus, inquit, nobis, iura populi Romani exponere, ita videntur posse tradi commodissimè: si primò leui ac simplici viâ, post deinde diligentissimâ, & exactissimâ interpretatione, singula tradantur. Quibus verbis, hanc nobis docendi legem imponit, vt initio quidem, hoc est in Institutionibus, leuem ac simplicem viam, vt par est teneamus: at in Pandectis & constitutionum Codice, diligentissimam, atque exactissimâ interpretationem adhibeamus: idque non aliquoties tantùm, sed perpetuò, & in singulis. Diligentissima autem, & exactissima interpretatio, nihil proculdubiò aliud est, quàm subtilis interpretatio: & ne dubites, consule Valentinianũ Imp. qui in l. vn. de profess. qui in vrbe Constant. docentes ex lege meruerunt comitiuam lib. 12. Cod. inter partes quæ in professoribus præci-

puè desiderantur, interpretandi subtilitatem connumerat. Partes sunt hæ: laudabilis, probis moribus vita: docendi peritia: facundia dicendi: interpretandi subtilitas: & copia differendi. Idem significat Iustinianus in l. 1. §. 9. nostram Cod. de vet. iure enucl. vbi postquam commentarios in ius conscribi vetuit; sed sufficiat, inquit, per indices tantummodò, & titulorum subtilitatem, quædam admonitoria eius facere: & apertius in l. 2. §. 11. contrarium eod. tit. his verbis, Contrarium autem aliquid in hoc codice positum (de Pandectis loquitur) nullum sibi locum vindicabit, neq; inuenietur: si quis subtili animo, diuersitatis rationes excutiat. Quin imò eandem tractandi iuris subtilitatem, in ipsis quoque discipulis consequenter requirit, nam in oratione ad Antecessores, in qua docendi discendiq; modū præf-

cribit. §. 5. sed quia solitum, iubet: ut in quinti anni metas, constitutionum codicē, tam legere, quàm subtiliter intelligere studeant. Nec mirum si tanta subtilitas, & in magistris, & in discipulis desideretur: cum ius ipsum, subtilissime inuentum, & compositum fuerit. Iustinianus enim in f. l. ult. Cod. de præscrip. longi temp. scribit, veteres Iurisconsultos, quos maiores suos appellat (in iuris nempe disciplina: nam & ipse, Iurisconsultum se profitetur) subtilissimo animo, & diuino quodam motu, ad actiones, & earum iura peruenisse: quod etiā de toto opere significat, cum in l. 2. §. 14. sed quia diuinæ Cod. de vet. iure enuel. Saluiū Iulianum Iurisconsultum laudat, ut legum, & edicti perpetui, subtilissimum conditorem: edicti inquam perpetui, ad cuius exemplum, Pandectarum & Codicis libros, digestos

& compositos fuisse notum est. Nam & ipse in f. l. i. eod. tit. Cod. in veteri iure enucleando, Triboniano Quæstori palatij (magnum Cancellarium diceremus) totius legitimi operis ministro, mandat: vt Digestorū opus tam subtili, quàm celerimo fini tradat. Propriam quoque subtilitatem, in eodem opere condendo, ipse commendat d. l. i. §. 4. sed neque, de vet. iure enucl. Cod. Omnia enim, inquit, meritò nostra facimus, quia ex nobis, omnis eis impertietur auctoritas. Nam qui subtiliter factū emendat, laudabilior est eo qui primus inuenit. Denique iudices etiam ipsos subtiliter iubet cognoscere l. vn. de sentent. quæ pro eo quod interest, & l. i. vt in possessio. leg. Cod. quod summi Pontifices quoque volunt cap. 19. in causis de sent. & re iudic. ext. Enimuerò cùm nulla sit omninò ars, vel sciētia,

cuius auctores vel pressius puriusq;
 loquantur, vel subtilius disputent,
 vel breuius colligant, vel acutius
 concludant: fieri profectò non po-
 test, vt quis idoneus iuris interpres
 vniquam existat, qui non summâ
 animi subtilitate, id est iudicij acie &
 acrimoniâ, summôque mentis acu-
 mine polleat: quod à natura quidem
 proficiscitur, sed non nisi soliditate
 & consummatione doctrinæ perfici-
 tur. Professoribus enim, præsertim
 iuris, mediocribus esse multò minùs
 concessum est quàm poëtis. Nam
 oportet eos excellere, inquit lex 7.
 magistros de profess. & medic. lib.
 10. Cod. Quî enim aliter fieri possit,
 vt quis legum nodos, ænigmata, &
 gryphos soluat; oracula expediat &
 explicet; antinomias & legum in-
 speciem pugnantiam conciliet; &
 denique præstantissimum illud An-
 tecessoris munus impleat, sine quo
 totius

totius iuris scientia breuè sit interitura? Nam sicut parum est, ius in ciuitate esse, nisi sint qui iura regere possint, id est magistratus: ita quoq; certum est, constare ius non posse, nisi sit aliquis Iurisperitus, per quem possit quotidie in melius produci, vt iisdē verbis scribit Pomponius l. 2. §. 7. post originē, ff. de orig. iuris: quod sine illa interpretandi subtilitate, nemo vmquam præstabit, & nisi exemplū Antistij Labeonis subsequi possit, qui ingenij qualitate, & fiduciâ doctrinæ, quā plurima innouare instituit, hoc est, in melius producere, vt est in d. l. 2. §. 25. post hunc maximæ auctoritatis, imiteturq; Papi- nianum, qui à disputandi subtilitate, acutissimi vir ingenij, & meritò ante alios excellens à Iustiniano prædicatur, l. 30. cum acutissimi Cod. de fideicom. & ab alijs passim. Neque verò existimandum est, auctores no-

stros, quorum verba mentémq; reli-
 giosè interpretamur, Romanos
 nempe Imperatores rerum dominos,
 aut veteres Iurisconsultos, hoc est,
 summos in Rep. & Imperio domi
 forísq; viros, principes ciuitatis, ma-
 ximæq; dignationis, in medijs rerū
 experimentis positos, ac principalis
 curæ plerumq; participales, qui ve-
 ram, non fucatam philosophiam pro-
 fitebantur, eoque prudentes, sphi,
 & sapientes vulgò sunt appellati:
 magistrorum more difficiles ha-
 buisse nugas, ac leues inanésque ar-
 gutias & minutias, acuendis & ex-
 ercendis tantùm ingenijs vtilis, pro
 graui & solida iuris sapientia suppo-
 sisse: aut cruces de industria quasi
 desidibus & otiosis posuisse. Qui ita
 sentiunt, Deus bone, quales se pro-
 dunt, dum quæcumq; non capiunt,
 subtiliora esse clamitant. Equidem
 negari non potest, quin in iuris dis-

ciplina, quæ est diuinarum & humanarum rerum scientia, subtilitas, id est, lumen ingenij, & præstantia iudicij desideretur, vt dixi, sicut & in quibusuis disciplinis. Sed audenter affirmo, quod probare facillimum, nullam esse alicuius pretij artem, in qua non longè maiori subtilitate opus sit. Non enim res imaginarias, abstrusas, aut à cognitione hominũ remotas tractamus: sed obuias, & in medio positas, ac sensibus expositas. Itaq; nihilest tam arduũ in iure, quod non possit vel Iustinianus nouus discendi cupidus, & mediocris ingenij, ac literaturæ percipere: modò ipse Doctõr rē teneat, & arte doceat: hoc est, à primis argumenti principijs sensim & gradatim ad summa deducat auditorem. Hac enim ratione, cõprobabitur quod Sceuola dicere solebat, vt Tullius l. de Oratore, & alibi refert: nullius sibi artis facilio-

rem cognitionem videri, atq; quod minimè plerique arbitrarentur, miram eius, in cognoscendo suauitatem ac delectationem. Concludamus ergo, interpretãdi subtilitatem vitio vertendam non esse, quin imò in summa laude ponendam, cum absq; ea professoris munus nemo obire possit. Quid est igitur, dicat aliquis, quod in quampluribus iuris locis nimia subtilitas reprobatur? Dicam breuiter, nimiam subtilitatem ibi longè aliter accipi: & nihil aliud esse, quàm vel malignam & calumniosam interpretationem l. 7. si quis heredem de institut. & subst. l. vlt. de interd. matrim. Cod. vel summum & strictum ius. l. vlt. de testament. Cod. quod plerumq; summa iniuria, iuris inquam duritiem & rigorem: ideòq; iisdem in locis, nimiam illam subtilitatem opponi æquitati, vtilitati, benignitati, humanitati, æquo &

bono. Nec tamen negauerim, quin
 & in ipsa docēdi ratione, nimia sub-
 tilitas vitiosa sit : sed nimia num-
 quam erit, si rectum modum tenea-
 mus : nempe vt verbis legis apta &
 congruens sit interpretatio, vt nos
 suo exemplo Vlpianus docet in l. 20.
 item veniunt §. 6. præter hæc in f. ff.
 de hered. petit. & si ad solidam do-
 ctrinam, & artis cognitionem perti-
 neat: nam quæ à verbis aliena est, ac
 per hoc à mente & ratione iuris, aut
 etiam quæ vana nominum vocabula,
 non sensum amplectitur, illa non
 subtilis sed futilis dicenda est, l. 2. in
 f. Cod. de constit. pecu. qualis solet
 esse hominum semidoctorum quos
 sciolos appellant interpretatio, ab
 scholis & iudicijs prorsus inhibenda
 & explodenda, atque adeò ridenda
 & corrigenda l. 11. si imperialis §. 1.
 cum igitur de legib. l. 13. veteris de
 contrah. & committ. stipul. l. 11.

nuper de natural. liber. Cod. & l. 8.
 sicut §. 16. si debitori ff. quibus mod.
 pig. vel hypot. sol.

SECUNDVM expositulationis caput
 est, de miscella doctrina: hoc est, de
 alienorum auctorū, in iure docendo
 vsurpatione: qua in re triplicem dif-
 ferentiæ gradum animaduerto. Qui-
 dam enim solidâ Iurisprudentiæ co-
 gnitione destituti, cū se parū in
 ea professione valere sentiāt, aliundē
 laudem aucupantur: & imperitiæ suæ
 velamentum, quasi multiplicis & va-
 riæ lectionis prætendūt, inconditam
 locorū congeriem, scholastico more
 hinc inde corrogatam: hīsque rhap-
 sodijs recitandis, totas paginas im-
 plent, horasque integras absumunt.
 Hos, emanfores rectè appellaueris,
 vt in militia: & erroneos, vt in re fami-
 liari. Nam relictis Iurisconsultorum
 castris, & Iurisprudentiæ domicilio,
 in alienis auctoribus palantes, deer-

rant, diuaganturq; : desertores penè,
 ac fugitiui: iuri docendo prorsus in-
 utiles. Alij, quibus inter docendum,
 aurem continuò personat solemne
 illud, hoc age : quamquam priuato
 studio bonos auctores sedulò seriòq;
 frequentèt, ijs tamen rariùs in scho-
 la palàm vtuntur : atq; tum demum,
 cùm aliquis iuris locus incidit, qui
 aliundè lucem accipere non potest,
 aut certè non tantam : vel cùm vicif-
 sim ex illo iuris loco, insignis & ob-
 scurus boni auctoris locus illustrari
 potest : qua in re vt in ceteris, Iacobi
 Cujacij Antecessorù principis Do-
 ctorisq;, exemplū sequi præstiterit:
 in cuius libris alienos auctores, vix
 aliter citatos reperiās. Alij denique
 alienis allegationibus liberiùs vtun-
 tur, non ad necessitatem tantum, ve-
 rùm etiam ad ornatum: sed cum delectu
 & iudicio, quasi gemmas suis scriptis
 interferentes, vt nihil interim accu-

ratae iuris tractationi depereat. Hi
 suâ etiam laude digni, qui utroque
 modo iuuentutē demereantur, eamq;
 his quasi condimentis & illecebris,
 ad seueriora iuris studia alliciant,
 faciliusque perducant. Sed est tamen
 quod hac in re adolefcētes seriò ad-
 moneam, ne lubrico ætatis se ipsos
 in maximam fraudem inducant: hoc
 est, ne his quasi dulcioribus bella-
 rijs auidius ingurgitati, solidiores
 Iurisprudentiæ cibos fastidire inci-
 piant: vnde magnum quoque Reip.
 creatur periculū. Nam cū deinde,
 vel ad docendum in schola, vel ad
 dicendum in foro perueniunt, totum
 ferè suum studium ac præsidium in
 tenuioribus illis spicilegijs collocāt:
 beatissimã planèq; auream Iurispru-
 dentiæ messem non animaduerten-
 tes, utpote parùm in iure versati, &
 quasi peregrini. Illos itaque scire
 operæpretium est, Iurisprudentiam

non frustra definiri rerum diuinarū,
 & humanarum scientiam: illa enim
 vel sola, non rerum tantū pondera,
 & rationum certissima momenta: sed
 & exquisitissima elegantissimāque
 ornāmēta, & vberem dicendi copiā,
 tam in foro, quā in schola abundē
 suppeditabit: si quis iuris vtriusq;
 libros, assiduā lectione vt par est fa-
 miliares sibi reddiderit, & proprij
 patrimonij opes & diuitias immen-
 sas agnouerit. Sed dum incauta iu-
 uentus, segniter in scholis iuris ver-
 satur, neque legitimum curriculum
 implere curat, sed festinanter ad vota
 properat: necesse est vt malè coepta
 studia, cessum eant in dies, atq; ideo
 paulatim refrigescant ac deserantur
 tandem. Itaq; cū prodeundum est,
 aliena & longiùs petita laboriosè
 conquiruntur, aut ab alijs pudibun-
 dè emendicantur: vel etiam turpi
 mercimonio comparantur, quum

opportuna, & ad rem nata, in utroq;
 iuris feracissimo campo, facili ne-
 gotio & pleno sinu, colligenda peri-
 tis sese offerre potuissent. Quæ non
 ideò à me commemorantur, quò iu-
 uentutē à miscellanea & humaniori
 doctrina auocem: sed ne à Iurispru-
 dentia studio ad peregrina deficiat,
 aut quod peius est à labore ad libi-
 dinem. Nam alioqui vel ipsa Iuris-
 prudentia definitio satis ostendit,
 perfectum Iurisconsultum in ceteris
 disciplinis si non excellere, at certè
 tinctum & non imperitū esse oport-
 ere: Itaque suademus & optamus,
 ne iuuenes ad ciuilia studia dimittā-
 tur, nisi vel mediocriter à bonis lite-
 ris & artibus parati, ac à Latinæ lin-
 guæ cognitione præsertim: utq; qui-
 bus hæc defunt, iacturā tam grauem
 quamprimū resarciant, scholis no-
 stris alioqui parū idonei audito-
 res. Qua in parte magnū foret operæ

pretium, si legum Romanarū prouidentiam imitaremur: quibus diligenter cautum est, ne adolescentes proprio parentūme arbitrio ad scholas publicas peregrè proficiscantur, sed causâ cognitâ & cōmeatu à præside prouinciæ accepto: ne scilicet impares & imparati, supra captū virium, noua studia ingrediantur, sibi que ac Reip. inutiles maneant, atque ideò graues, ne dicam noxij, l. vnic. de studijs liberalibus, vrbis Romæ & Constātinop. Cod. Theod.

DE OBSCVRITATE tertia est conuestio, quæ iniqua sæpius esse potest. Nam si adolescentes legum cupidi non fuerint, ac summâ ope & alacri studio ipsi quoque non adniantur, vt iubet Iustinianus: si patiētem culturæ aurem non accommodent: si mentis aciem ad docentis verba non intendant: si in priuatis studijs eam subtilitatem, quam Iusti-

nianus desiderat non adhibeant, profectò fieri non potest, quin in tenebris & caligine perpetuò versentur, eisq; omnia obscura videantur, non docentis sed ipsorum culpâ: quomodò enim Doctor se ad eius captum accommodet aut demittat qui nihil capit? Qua de re memorabile est exemplum illud, quod refert Pomponius in l. 2. §. 21. post hos Quintus Mucius ff. de orig. iuris. Nam cùm Seruius Sulpicius, qui in causis orandis primum locum, aut pro certo post Marcum Tullium obtinebat, ad consulendum Quintum Mucium Iurisconsultũ de re amici sui peruenisset, eũmq; sibi de iure respondisse parũ intellexisset, iterũmq; interrogasset, nec tamen iteratò respondentem percepisset, ita meritò obiurgatus à Q. Mucio esse traditur: Quòd turpe esset patricio & nobili & causas oranti, ius in quo

versaretur ignorare. Quin etiam
potest accidere, ut qui

Inuia Pieridum peragrat loca, nullius ante

Trita pede: dum coactus noua molitur, & ardua tentat, atq; ideò nondum fortè satis perspecta & explorata, duce qui viam præeat destitutus, obscurus interdum fiat: quod necessitati & humanæ imbecillitati facilè condonabitur. Nam absque his honestissimis ausis & modestis conatibus, ius in melius produci non potest, neque veterum inuentis quicquam addi. At si obscuritatis vitio magister ipse laboret, negari certè non potest, quin is, se rei ad se non pertinenti immisceat: cum summa totius nostri muneris in docendi peritia consistat, quæ sine magna dicèdi perspicuitate esse non potest, ut probat d. lex vn. de profes. qui in vrbe Constant. in qua post docendi peritiam, facundia dicendi, subtilitas

interpretandi, copiâque differendi
 subijciuntur: vt intelligamus, his
 omnibus partibus docendi peritiam
 constitui: neque aliquem docendi
 peritum posse intelligi, qui non fa-
 cundè, subtiliter, & copiosè doceat,
 hoc est perspicuè & luculèter: quod
 etiam probat d. l. 7. Magistros de
 profess. & medic. quæ vnico facun-
 diæ verbo, vniuersum docentis mu-
 nus complectitur: quasi in vna faci-
 litate & perspicuitate dicendi illud
 positum sit. Verissimum enim est,
 quod scribit Aristoteles i. Metaphys.
 signum scientis esse, posse docere,
 hoc est, idoneum auditorem instrue-
 re, & informare: quod Horatius in
 arte poëtica eleganter expressit his
 versibus --- *cui lecta potenter erit res,*
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
 Vnde à contrario rectè conclude-
 mus, cum qui cum effectû docere
 nequeat, inscium esse: eique meritò

posse dici,

Scire tuū nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Ac consequenter eum qui facundiâ careat, hoc est facilitate docendi, vel etiam ordine lucido, id est, rectâ methodo, artis quam profitetur, non esse potentem & compotem, eum, inquam, artem suam non possidere. Etenim fieri nullo modo potest, quod à multis vulgò creditur, posse aliquem rectè sentire, vt tamen parùm eloquatur. Nam vt superioribus consequenter dixit ibidem Horatius,

*Et benè prouisam rem, non inuita sequentur
Verba.*

Sermo enim noster duplex est, interior, qui mente concipitur: & exterior, qui ore promitur & efformatur. Qualis ergo erit hominis interna cogitatio, talis etiam oratio consequetur. Quare qui animi sensa facilè expedire non possunt, ij certè animi

obscuritate laborant, & rei rudem
 & inchoatam, adumbratamque ima-
 ginem quasi per nubem tantum vi-
 dent. Vt enim facilitas venit à veri-
 tate & ordine dictorum, ita obscuri-
 tas à falsitate & ordinis perturba-
 tione. Nam qui rem perfectè animo
 complexus est, ille proculdubiò fa-
 cilè, disertè, dilucidè, & copiosè elo-
 quetur. Concludamus ergo, eos
 quorum mens in obscuritatis cali-
 gine versetur, ad docendum ineptos
 esse: & cum se studiosis vtilis præbe-
 re nequeant, etiam semel probatos
 denuò posse reprobari l. 2. de profes.
 & medic. lib. 10. Cod. & l. 6. Si duas,
 §. 6. sed & reprobari, ff. de excusat.
*Quò enim mihi iuris interpret (vt in consi-
 mili argumēto magnus Cuiacius pu-
 blicè declamabat) nisi versetur, & sit in
 eo, quod in poeta Aristoteles exigit τὸ τίθεσθαι,
 τὰ πρὸς ὄψιν, siue res palam ante oculos po-
 nere & in bono lumine? Quid enim σκοτεῖον*
 illi,

illi, Heraclito similes, nisi cruces atque tormenta? Quid item turpius quàm id esse ipsum obscurum, quod in eum adhibetur usum ne sint cetera obscura. Quibus grauiſſimis Cuiacij verbis hoc vnum addam, nos eam docendi facilitatem desiderare & commendare, quæ ex plena & penitiori rerum cognitione proficiſcitur: (docendi enim, vt &

*Scribendi rectè, sapere est & principium
& fons.)*

Atque ideò quæ circa difficilia & ardua quæque potissimùm eluceat, & docentis peritiã, artem, & iudicium probet. Nam quæ ex tenuitate superficialiã doctrinæ facilitas venit, & in obuijs & vulgaribus quibusque immoratur, ac circa vilem patulùmque orbem, vt idem poëta loquitur, ea potiùs vitio vertenda: quum inscitiam & inopiam docentis palàm arguat ac statim præ se ferat.

ULTIMA omniùmque grauiſſima

D

querimonia est, quòd ad vsum fori
 minimè doceamus. Ingens profectò
 argumentum quod pulcherrima &
 vtilissima multa, de schola & foro,
 nobis ad dicendum suggerit, quæ
 tamen aut in aliud tempus differre,
 aut strictim attingere breuitatis stu-
 dium nunc cogit. Equidem si vsum
 fori dicunt pro formulis, pro solem-
 nibus, pro iudiciaria obseruatione,
 & pro toto litigandi ordine, facilè
 concefferim adolescentes ad eum
 vsum in scholis parùm instrui & in-
 formari. Nam vsus per se indocilis
 est, vt scribit Tullius, id est non nisi
 in ipsis rerum experimētis & quoti-
 diana iudiciorum exercitatione atq;
 vtendo addisci perfectè potest §. vlt.
 Institut. de satisfdat. Deinde vsus fori
 hodiernus quem stylum vulgò dicti-
 tant, præterquam quòd non vnus &
 idem est, sed multiplex atque incer-
 tus, nec sibi constans: à iure multum

discrepat, & non iam Romanus & legitimus, sed deprauatus, propter imperitiam formulariorum, quos pragmaticos appellamus, d. §. vlt. Quod ideo tantum dictum velim ut iuvenes intelligant, ea in re non reconditam aliquam latere scientiam: nam alioqui illis auctor quidem sum ut confecto legitimo studiorum cursu, foro se diligenter parent, & foro pareant: ita enim fieri non solum necesse est, sed etiam valde utile: quia restant multa licet obscura legitimi ordinis vestigia, per quæ sagax indagator, ad Romani vtriusque fori cognitionem, facilius peruenire possit: quin etiam ad eius obseruantiam, si quid in praxi peccetur, ut par est emendare d. §. vlt. de satisfat. Quod facili negotio perficeretur, si non præcocia & cruda iuuentutis studia, in forum ab schola propellerentur & præcipitarentur. Nam si

per legitimum tempus iuris studio incubuerint, ex secundi libri Decretalium interpretatione, totius iudicarij ordinis fundamenta, causas & rationes facilè cognoscent. Inde enim hodierna praxis magna ex parte detorta est. Quinimò excitabitur Antecessorum industria ut antiqui fori Romani ordinem vsúmque, omnium quidem præstantissimum, minimèque litigiosum, ex ipsis iuris ciuilis penetralibus erutū, in scholis doceāt, & cum quotidiana praxi cōponāt. At si per vsūm fori, ipsam respondēdi seu iudicādi peritiā intelligant: profectò nō video, quā ratione dici possit eos ad vsūm fori non docere, qui ius vtrūque ex suis principijs & causis peritè, facundè, subtiliter, & copiosè doceant: qui iactis firmiter fundamentis diligentissimā atque exactissimā explicatione verbisque auctorū aptā & congruente

ſingula pertractent: qui artem ipſam
 recto ordine & certâ methodo ac-
 curatè demonſtrent. Niſi etiã dica-
 tur ſolidam & genuinam ipſius iuris
 doctrinam, nihil ad uſum fori facere
 aut pertinere: quod nemo ſanus um-
 quam dixerit. Nam & ſi uſus fori à
 iuris veſtigijs fortaffe in plerifq; re-
 cedat, præiudicialis tamen manebit
 quæſtio: an nos ad eum uſum, verba
 ſenſaque legum inflectere in docen-
 do debeamus: an potiùs huiuſmodi
 uſus ad veram iuris normam & ratio-
 nem ſit reuocandus dirigendùſque.
 Cuius quæſtionis præiudicia duo
 grauiffima audiamus. Primũ eſt ma-
 gni in Iuriſprudentia & in foro viri,
 Cardinalis Hoſtienſis, qui in proce-
 mio ſummæ in Decretales num. 4. ita
 ſcribit. *Conſulo, inquit, quòd quoad ha-
 bendam perfectam ſcientiam, potiùs adhe-
 reat iuri ſcripto, quàm Curie Romanæ con-
 ſuetudini: licet ipſam in iudicando præferat*

legi cap. 19. in causis ext. de sent. & re iudic. Hoc ideò dico, quia consuetudo fragilis est & incerta: & nunc alba, cras nigra frequentius variatur. Et rursus idem in tit. de offic. delegati §. quod sit eius officium, vers. lectio tamen cõmunis est. Aliter ergo, inquit, hac compilatione (nempe Decretaliũ) in iudicijs vtimur, aliter in scholis: consuetudo tamen fragilis est, & ideò quòd ad habendam perfectam scientiam, iurascripto magis est insistendum. Hactenus Hostiensis. Alterum longèque grauius præiudicium est amplissimi totius vestri ordinis (Patres sapientissimi) cuius antiquũ hoc & perpetuum decretũ, nouo etiam consulto recentatum, die 15. Februarij anni 1593. vt verba contextus atq; glossas absque dictatis interpretemur: quo nihil consultius vtiliusue excogitari vniquam possit, dummodo legitimis studiorum temporibus, vestrà quoque prouidentia diligenter san-

citis, iuuentutem anteuertere non
 patiamini: vnde præcipua scholæ,
 fori & Reip. labes. Sed & cum pau-
 cissimis annis antè, vnus ex Anteces-
 soribus proindustriæ captu, quædam
 quæ pro rebus iudicatis circumfe-
 runtur ad singulos titulos in scholis
 aptare voluisset, sapiētissimè ac gra-
 uissimè Senatus, ius, non forensia do-
 ceri debere submonuit. Perfecta
 quippe scientia ex ipsis legum puris-
 simis fontibus hauriēda. Sed dicēt,
 esse plerosq; iuris titulos & tracta-
 tus, in foro parū vsitados, quos in
 scholis prætermittere debeamus: &
 eos tantū explicare, qui in quoti-
 dianō vsu versantur. Certè hæc ra-
 tio, alicuius momenti videri posset,
 si in toto Christiano orbe vnicū
 esset forum: cuius obseruantia cete-
 ra necessariò subsequerentur vt olim
 Romani §. vlt. Institut. de satisfat.
 at cū innumera prope sint æquæ

præcipua, ad cuius quæso vsum do-
 cere nos volunt? Nam quæ in vno
 vsui non sunt, in alio maximè fre-
 quentantur: & nos non vnus fori
 IC . informamus, sed eū qui vbîq;
 terrarum profiteri ius possit, vt ipsi
 docturæ codicilli ferunt. Quin imò
 affirmare, fori non ignarus, verè
 possum, illas ipsas iuris partes & ma-
 terias, quæ ab vsu Forensi magis re-
 motæ creduntur: quin etiam leges
 illas, quas imperiti abrogatas vocât,
 ad vsum fori cuiuscumq; maximo
 cum plausu & approbatione cōmo-
 dissimè aptari posse, si à perito pru-
 dentique artifice tractentur. Adde
 iam suprâ fuisse definitū, perfectam
 scientiam, non ex vsu cuiuscumque
 curiæ, sed ex libris iuris metiri oport-
 ere. At præterea instabunt, quòd
 vtilibus inutilia pleraq; admiscea-
 mus: quæ ipsi curiosa aut subtilia
 vocare solent. Breuiter respondebo:

in explicandis artibus quibuscumq;
 multa necessario adhiberi, quæ in
 ipsis exercendis nullius penè usus
 sunt: sicut in ædibus ædificandis,
 multæ machinæ, sine quibus habita-
 tio comparari non potest: quæ tamen
 ad ipsum habitandi usum nihil con-
 ferunt: quod & in ipsis terræ frugi-
 bus fructibusque contingit, quibus
 multa admiscuntur, non solum inu-
 tilia ad vescendum, sed etiam noxia.
 Pari quoque ratione, pleraq; eorum
 quæ in iure maximè vtilia sunt, non
 posse explicari vel intelligi, nisi alijs
 adhibitis, quæ inutilia ad forum vul-
 gò creduntur. Quamquam & ipsa,
 suos quoq; magnosq; usus habeant,
 si quis rectè uti nouerit. Denique
 urgebunt, quòd in hodierna studio-
 rum festinatione, vtilius foret, præ-
 termisâ longiori & accuratiore iuris
 interpretatione, ad forensium quæ-
 stionum tractationem statim perue-

nire : vt iuris studiosi se foro comparare , quamprimùm possint. At nos studiorum festinationem maximè improbamus , vt iustitiæ nouercam : quæ nisi inhibeat , tribunalia quoque ipsa tandem subuertet : & præterea non litigiosum rabulam institui-
 tuimus , sed iustitiæ antistitem , sed æqui bonique artificem , sed iuris scientiæ , id est , rerum diuinarum & humanarum peritum , sed virum bonum ac prudentem , hoc est Iurisconsultum : & artem ipsam ac scientiam docemus , quæ in singularibus quotidianarum quæstionum decisionibus , admodùm etiam variantibus & incertis , minimè consistit : quam artem qui tenet rectè , supra ipsos decisionarios quos vocant , longè certius iudicabit : vt facile intelligetur , si quod vnum restat , pauca de ordine ac methodo docēdi subiecero , dicendi finem mox factururus.

ETENIM ius est ars, & Iurisprudentia scientia: vt non modò ex ipsis veterum definitionibus constat tit. de iustit. & iure institut. & ff. sed ex ipso quoque Iustiniano qui in oratione ad Antecess. §. 5. sed quia solitum in fine, illud etiam asseuerat: iuris artem omnibus alijs quibuscumq; perfectiorem, certioremq; esse: & profectò, qui ius artem esse non intelligit, ad ipsius veram cognitionem numquam perueniet. Omnis autem ars & scientia, suis principijs constat, quibus quasi fundamētis reliqua omnia innituntur: & in ijs velut cardinibus vertuntur. Vt enim vulgò notum, scire est per causas cognoscere, ac consequenter scire leges est, non verba earum tenere, sed vim ac potestatem vt scribit Celsus, l. 17. scire, ff. de legibus: quæ vis & potestas, in principijs tota consistit, quod breuiter significat Caius in l. 1. ff. de orig. iuris

Certè, inquit, cuiusq; rei potissimà
pars, principium est: & Aristoteles I.
Ethicorum, cum ait, principium plus
quàm totius dimidium esse videri. &
per ipsum pleraque eorū quæ quæ-
runtur, intelligi. Itaque studiosi
cuiusque artis, hoc in primis curare
debent, vt veris principijs quamplu-
rimùm abundant: nam omnia quæ
inde per consequentias deducuntur
& orientur, vera quoque erunt: sicut
à contrario, quæ à falsis, falsa: & à
sophisticis, sophistica. Sed in his
principijs inquirendis, asserendisq;
summa difficultas est: quum enim ius
in actione potissimùm positum sit:
non per vniuersales regulas, tradi
pòtuit aut debet l. i. ff. de reg. iuris,
vt ea quæ in contemplatione versan-
tur. In contemplatiuis enim vniuer-
salia: in operabilibus, singularia spe-
ctāda sunt, vt Philosopho loquuntur.
Itaque singularibus responsis, ad

propriam cuiusque facti speciem ap-
 tatis ius constitutum est : quò fit vt
 cuiuscumque materiæ principia , vel
 oculatissimos interdum fallant : &
 hinc tanta nostrorum interpretum
 dissentio. Nam vt ostendit Aristote-
 les lib. 11. & 18 de animalibus, muta-
 to principio, necesse est pleraque eo-
 rum mutari, quæ circa principium
 versantur : ac consequenter, parvus
 error in principio, magnus erit in fi-
 ne, vt idem ait alibi. Principiorum ita-
 que cognitio, tractatioque, peritos
 ab imperitis præcipuè distinguit. Vt
 enim nulla est ars vel scientia, in qua
 difficilius sit, aliquid ex suis causis &
 principijs certò docere & definire,
 & à capite ad calcem certo ordine &
 inoffenso pede tractationem decur-
 rere : ita profectò nulla est, in qua
 quis tam faciliè decipiatur, vel
 decipiat opinione peritiæ, quàm iuris
 scientia : nulla certè in qua indocti

magis argutari, ingenium iactare, & se venditare possint, atque iuuentuti inconsultę faciliùs imponere. Quum enim copiosissima rerum sylua, in glossis & interpretibus abūdet, quisque non solùm mediocris, sed & parui ingenij, modò loquax, confidentior, & perfrictę frontis, imperitiã audaciam faciente, non magno labore leguleium & legicrepam se præstabit: & verba legum memoriter recitans, ac crebris frequentibúsq; citationibus auditorem onerans, Iurisconsultum apud indoctos facilè mentietur: sed fucum deprehendent studiosi, quòd nec pes, nec caput vni reddatur formę: hoc est, quòd nullus methodi ordo eluceat, quòd nullis certis ratisque principijs, temeraria moles stabilia- tur: quòd alia alijs non cohæreant, nec sequentia à prioribus necessariò deducantur: quòd accurata verbo-

rum contextus enucleatio, & *κατὰ πρόσωπον* interpretatio, cane peius & angue, quod dicunt, euitetur & declinetur: quòd difficiliora & penitiora quæque, in quibus artis principia latent, prætereantur & dissimulētur: quòd inanis labor in ineptijs collocetur, atque magno molimine nihil agatur, multísq; verbis nihil dicatur: denique quòd nulla lux veritatis, quantumuis diligenti discipulo affulgeat. Principiorū autē dispositio & collocatio, hæc esse debet, ut illud quod summum est, quòdque sequentibus omnibus lucem foeneratur, primo loco constituatur: deinde quod ab ipso lumen accipit, & sequētib; impertitur: tertio itidem & deinceps. Ita enim priora posterioribus semper prælucebunt, & lucidus ille ordo consequetur, quem Horatius ex solida, perfectáq; artis cognitione proficisci verè scribit:

atque ex veris firmisq; principijs,
 reliqua sponte suâ sequentia, recto
 ordine deducuntur, connectuntur, &
 inuicem coaptabuntur: quod non
 nisi summorum & consummatorum
 Iurisconsultorū esse potest: quorum
 rarus proventus semper fuit, eritq;
 vt iam suo tempore conquereba-
 tur Theodosius Nou. i. *Sæpè, inquit,*
nostra clementia dabit auit, quæ causa face-
ret, vt tantis propositis præmijs, quibus artes
& studia nutriuntur, tam pauci raróq; ex-
titerint, qui plenâ iuris ciuili scientiâ ditaren-
tur. Et in tanto lucubrationum tristi pallo-
re, vix vnus aut alter receperit soliditatem
perfectæ doctrinæ. Istis certè tempori-
 bus rarissimus: quibus nec talia vir-
 tuti proposita præmia, nec homines
 solide doctrinæ cupidi, quos vltro
 iuuat chartis impallescere: lucro
 plerique tantum & inani gloriolæ
 inhiantes: atque ideo docti videri,
 non esse laborantes: vt certè nec esse
 possunt.

possunt. Nemo enim vniquam eò
perueniet, quò non contenderit, di-
uersus abiens: vel vniquam feriet
quod non intenderit, aliò collineans
& ictum destinans. Quod genus ho-
minum non literas modò & studiorũ
Vniuersitates, sed & Remp. quoque
vniuersã malè perdit. Auaritia enim
omnium malorũ publicè priuatimq;
radix, & status publici internecio,
vt certissimis argumentis Imperator
noster grauissimè demonstrat Nou. 8.
vt iudices sine quoquo suffragio fiãt
collatione 2. Optemus tamen arden-
tibus votis à Deo, & ope omnia la-
boremus ipsi, vt quod Vitruuius de
se gloriosè apud Imperatorem suum
prædicat præfatione libri 6. liceat &
futuris Antecessoribus olim, de se
prædicare. Ego autem Cæsar, inquit,
non ad pecuniam parandam ex arte,
dedi studium: sed potiùs tenuitatem
cum bona fama, quàm abundantiam

cum infamia sequendam probavi.
Et concludamus aureis eiusdem ver-
bis alio in loco. *Ut sint sine auaritia
quod est maximum: nullum enim opus
verè sine fide & castitate fieri potest.*
Dixi.



